

ANGELO POLIZIANO

BARTHOLOMAEO FONTIO (254 vers)

v.1 Clara licet summo Fredericum gloria caelo
 2 et nitidis certet tollere sideribus,
 3 vel quia munitam castris inducere fossam
 4 obstrusumque hosti claudere novit iter,
 5 novit et armigeras dictis incendere turmas
 6 et fera magnanimos vertere in arma duces
 7 dejicit et celsas ignitis molibus urbes,
 8 occultas aperit militibusque vias,
 9 vel quod equum fuis impellere doctus habenis,
 10 qua ruit, hostili sanguine tingit humum,
 11 quantus Bistonio Gradivus in axe coruscat,
 12 cum rapit ardentem in fera bella Getas,
 13 vel magis argutos placida quod fronte poetas
 14 allicit effusis undique muneribus.
 15 Laurigerasque petit posita modo cuspide nymphas,
 16 implicat et ternis bracchia nexa choris
 17 et licet, Eridanum Phaetontis flebile bustum
 18 qui regit et Mutinae tecta superba premit,
 19 aut rex, Oebalii qui temperat ora Galaesi
 20 teque, olim Musis inclyta Parthenope,
 21 materiam sacris valeant praebere poetis,
 22 sive illi pacem, proelia sive gerant :
 23 quid tamen externo juvat indulgere labori ?
 24 Quid juvat externos concinuisse duces ?
 25 Non libet amoto fauces perfundere vino,
 26 cum propior valeat tollere lympha sitim.
 27 Nonne magis referam Petrum patriaeque parentem
 28 Cosmum ? Non Medicae pignora bina domus ?
 29 Temperet ut cives tanta Laurentius arte,
 30 stelligeros quanta Juppiter ipse polos ?
 31 Ut tumidum conata jugo subducere collum
 32 protendit victas jam Volaterra manus ?
 33 Ut modo, Palladiae Pisis cedetis Athenae
 34 otiaque antiquae dulcia Parthenopes ?
 35 Nonne magis referam ludicrae munera pugnae,
 36 Verinus quamvis dixerit illa meus ?
 37 Paene puer juvenes valido Laurentius ictu
 38 dejecit forti conspiciendus equo.
 39 Paene puer terrae galeas devolvit inanes,
 40 stravit cornipedes, arma virosque simul :
 41 has ego non humili complectar carmine laudes
 42 virtutis referens munera prima suae.

43 Paene puer fudit patris Laurentius hostes
 44 compulit et proprios deseruisse Lares.
 45 Armatos cives armis circumdatus ipse
 46 duxit et infidas expulit urbe manus,
 47 territus effugit patriis Detisalvus ab oris,
 48 nunc terit in longa tempora pauperie.
 49 Haec mea Musa canet, nostro haec sunt ore canenda
 50 et meus hoc tantum pulvere sudet equus.
 51 His mihi descriptis libeat quoque forsan ad illos
 52 flectere converso protinus axe rotas.
 53 Ante pharetratos cecinit Landinus amores,
 54 ante celebrata est carmine Xandra suo.
 55 At postquam Medicas illam transmisit in aedes
 56 et Petro meritum praestitit officium,
 57 lectitat hunc sacris Ferraria culta poetis
 58 miraturque animae jam monumenta suae.
 59 Sic ubi jam Medicae solvisti debita genti,
 60 Carliadem vexas nunc, Ugoline, tuam :
 61 Carliadem, qua non Latio praestantius ullum,
 62 quod videam, nostro tempore surgit opus.
 63 Ipse Cleonaeum liber contunde leonem
 64 Alcidaeque gravi subjice colla polo ;
 65 ipse et Erythraeos jam nunc molire juvencos
 66 pacatumque nemus, o Erymanthe, tuum,
 67 ipse refer perversa levis vestigia cervae,
 68 Thermodontiacas ipse referque manus.
 69 Me juvat in Medicam versus connectere gentem,
 70 o animae, Fonti, portio magna meae !
 71 Et tibi, Laurenti, noster praeludat Homerus,
 72 molimur forti dum tua gesta pede.
 73 Hactenus haec. Sed jam tacito tibi pectore, Fonti,
 74 saevus Amor rapidas ventilat usque faces.
 75 Ast ego mirabar, graciles quid protinus artus
 76 vexat, cur tenero pallor in ore sedet ?
 77 Permessi quotiens laticem, cum decolor esses,
 78 culpavi et Phoebi Pieridumque choros ?
 79 At quondam nostros demens lusisse furores
 80 te memini et vario corripuisse joco,
 81 ridebas gelidae tolerantem frigora noctis,
 82 cum tegeter madidas cana pruina comas,
 83 ridebas, Fonti, dominae fastidia nostrae,
 84 esset cum misero janua clausa mihi,
 85 ridebas, scopulo cum surdior illa Sicano
 86 temneret, in duro limine pervigilem,
 87 nec te paenituit lacrimas ridere cadentes
 88 turgidulasque novo semper ab imbre genas.
 89 I nunc, sacrorum, Fonti, derisor amantum,
 90 i, temne aligeri jura superba dei !
 91 Quam magis optares Ephyraei dura tyranni
 92 supplicia et poenam, Tantale saeve, tuam !
 93 Quam magis Atraciamque rotam tortosque dracones
 94 et Tityi volucres tergeminumque canem !
 95 Nil tibi Socraticis sapientia condita libris
 96 proderit aut Samium consuluisse senem,
 97 nil tibi contulerit sacri monumenta Maronis
 98 aut Tulli varios edidicisse locos,
 99 frustra Hieronymum sublimia diaeta tonantem,
 100 frustra Augustini scripta severa leges,

101 frustra Nasonem, lepidi vel culta Tibulli
102 carmina, vel qui te, Cynthia sola, canit.
103 Ah, miser ! in sterili sulcum producis harena,
104 diligit Aonios nulla puella modos,
105 sed magis aurato gaudent procedere limbo
106 Sidonioque graves murice ferre sinus,
107 semper Erythraeo poscunt de litore gemmas,
108 ut lapis in tereti splendeat articulo.
109 Ah ego quos cecini versus ad limen amicae !
110 Sed nebulae et tepidi diripere noti.
111 Postibus ah quotiens elegeia nostra pependit !
112 Nec tamen excussa janua aperta sera est.
113 Jactabam, memini, Phoebum nostramque poesin,
114 divitis illa tamen maluit usque torum.
115 Auro flectuntur pueri facilesque puellae,
116 corrumpunt justos aurea dona senes.
117 Inclusam Danaem munibat aenea turris.
118 Perviaque aurato est tegula facta Jovi.
119 Quare, si sapias, aurum viridesque smaragdos,
120 i, lege, quae Venerem conciliare queant.
121 Crede procellosis turgentia lintea ventis,
122 ut dominae gravida classe parentur opes.
123 Nec te, si madidus nimbis consurgit Orion,
124 terreat, aut si quas ingerit haedus aquas,
125 sive Therapnaeae sidus pluviale maritae
126 ingruit et pueri stella proterva Phrygis.
127 Nil habet in sacros tempestas juris amantes
128 cognatasque undas temperat alma Venus.
129 Sed quando in misero, quae tempora ducis, amore
130 scripsisti et vitae munera cuncta tuae.
131 Nunc simul et nostro, Fonti, sermone vicissim
132 disce aliquid vitae de ratione meae.
133 Libera jam tuto ratis est mihi condita portu,
134 nec metuit, si quas increpat aura minas.
135 Quare ego Maeonii divina poemata vatis,
136 ut coepi, in Latios vertere tendo modos.
137 Sed quoniam variae delectant fercula mensae
138 dulcius et vario gramina flore nitent,
139 saepe mihi numeris ficti referuntur amores
140 et canitur gracili mollis amica pede.
141 Nunc me contractis epigrammata ludere velis,
142 nunc juvat ad mollem flectere diaeta lyram.
143 Saepius eloquium magni Ciceronis adoro.
144 Hic quoque succendunt verba soluta mihi.
145 Nam modo me, Fonti, vel epistola blanda moratur,
146 actio vel multis plurima ficta locis
147 et modo me retinent calamo praecepta quieto
148 tradita pacatis et pia verba notis.
149 At cum Pieria taedet pallere sub umbra,
150 egredior thalami conscia tecta mei,
151 protinus inde peto Matthaei limina Franci,
152 ille mihi lepidos ingerit usque jocos,
153 suscitatur ille meo languentes pectore vires
154 et mentem a taetro vindicat ille situ.
155 Hinc me digressum Marsilius excipit ingens,
156 non minus ingenio qui favet usque meo.
157 Hic aperit, quanto currunt vaga sidera lapsu,
158 altus agit quali tramite Phoebus equos,

159 hic docet, undeni resecant ut sidera circi,
160 cur nitido tantum lacteus orbe patet,
161 ut cum patre Venus miseris mortalibus aequa est,
162 cur saepe obscuris Luna laborat equis,
163 Aurea cur celso pendentia vincula mundo
164 Maeonii finxit Musa beata senis,
165 cur saepe aerii luctantur in aequore venti,
166 cur glacie et saeva grandine terra riget
167 atque eadem Icario cur mox perrumpitur aestu,
168 cur pluvius madidas combibit arcus aquas,
169 quae causa est vernum laxari fulmine caelum,
170 an ruat e puro stella serena, polo ?
171 Et modo pallentes humano corpore morbos,
172 qua valeam, medica pellere monstrat ope.
173 Impia non sani turbat modo dicta Lucreti,
174 imminet erratis nunc, Epicure, tuis.
175 Ille Jovis quarto solium conscendere passu
176 edocet et celsi lucida signa poli,
177 namque agere ostendit pigrae nil corpora molis,
178 mox imperfecte cum loca forma super,
179 hinc anima exeritur divinae conscia mentis,
180 contiguus summo est angelus inde Jovi
181 saepe graves pellit docta testudine curas,
182 et vocem argutis suggerit articulis,
183 qualis Apollinei modulator carminis Orpheus
184 dicitur Odrysias allicuisse feras,
185 Marmaricos posset cantu mulcere leones
186 quasque niger tigres semper Amanus habet,
187 Caucaseo traheret duras e vertice cautes
188 saxaque Sicaniis condita gurgitibus.
189 Hinc, ubi conticuit, Musarum concitus oestro
190 deferor ad solitos protinus ipse Lares
191 atque iterum meditor numeros Phoebumque lacesso
192 attonitusque sacram pectine plango chelym.
193 Rursus in Andronici doctum me confero ludum,
194 qui tumidi nodos laxat Aristotelis
195 Smyrnaeique docet jocunda poemata vatis :
196 jam populat Graias Dardana flamma rates.
197 Fulminei posthaec aperit Demosthenis artem,
198 aequiparat nostri quem Ciceronis opus.
199 Hic Verinus adest, hic sacri templa Lucardi,
200 qui regit Aoniis pectora nota choris.
201 Carolus hic patrias certat superare Camenas
202 et Marsupinam tollere ad astra domum.
203 Carolus ille, inquam, Musarum dulcis alumnus,
204 quo nullus toto est gratior orbe mihi,
205 nec minor egregia surgit virtute Joannes
206 Baptista, Etrusci gloria certa soli
207 et quos longa mora est tenui comprehendere versu,
208 excipiunt socii Dorica verba mei.
209 Nec secus hinc reliquum teritur mihi temporis et me
210 Bibliotheca tenet, Vespasiane, tua,
211 cui tantum Graiae debent Latiaeque Camenae,
212 Smyrnaeo quantum Dorica terra seni.
213 Namque deus veluti Cressis, Epidaurius herbis
214 exstinctum patri reddidit Androgeon,
215 sic tu, quos rapuit nobis cariota vetustas,
216 restituis Latio, Vespasiane, viros ;

217 per te Lethaeos jam spernit Graecia fluctus,
218 nec metuit Stygium Romula lingua deum.
219 Felix, cui liceat revocare in lumina vitae
220 mortua priscorum tot monumenta virum,
221 felix, cui liceat sanctorum nomina vatum
222 perdita flammatis eripuisse rogis.
223 Hunc prope consisto, donec Cythereius ignis
224 advocat exorta lucida signa face :
225 sic ego labentis produco tempora lucis
226 inter Hyanthaei munera grata chori.
227 At cum festa dies suadet cessisse labori,
228 quae subeant animum gaudia, disce, meum.
229 Attonita geminos vestigo mente poetas,
230 ut referat numeros ille vel ille suos.
231 Sic Aganippei Michlotius incola fontis
232 Pierio blandos ingerit ore modos,
233 sic arguta refers nobis epigrammata, Bracci,
234 qui Marsi lepidam vincis Amazoniam.
235 Par est ambobus studium, par vita, nec illis
236 ingrata est Musae pars quotacumque meae.
237 Nam licet et Marsi vincant et scripta Catulli
238 Augustique jocos exsuperare queant
239 et licet his cedat culti Gaetulicus oris,
240 vel Pedito, vel celebris Musa benigna Coci ;
241 attamen esse aliquid sitiunt mea carmina, vates
242 esse aliquid nugas censet uterque meas.
243 Scilicet alterni vos copula fallit amoris,
244 o socii, mentis vincla benigna piae !
245 Offundit tenebras ac veri lumina tollit
246 sanctum jocundae foedus amicitiae.
247 His ego suffixus totam vagor usque per urbem,
248 atteritur pedibus et via longa meis,
249 donec flammigeras pronos Phaetonte quadrigas
250 lucidus Hesperio Cynthus amne lavat.
251 Haec tibi suscepto pro munere munera reddo,
252 haec pro susceptis carmina carminibus.
253 Ergo vale, Fonti, et memori nos mente reconde
254 mutuaque alternus pectora servet amor.